



Per.
Lat
020

Moderator ephemeridis STEPHANUS SZÉKELY DR.
Budapestini, Üllői-út 71., ad quem epistulae et
○○○○○○ manuscripta mittantur. ○○○○○○

Administrator ephemeridis ADALBERTUS DANCZER
Budapestini, VIII., József-körút 48., ad quem
○○○○ pecuniae quaecunque dirigantur. ○○○○

Prodit Budapestini Calendis et Idibus cuiusque mensis, excepto Iulio et Augusto. — Pretium annuae subscriptionis: 4 coronae, semestris 2 coronae, extra Hungariam annuae 5 coronae, 5 M., 5 fr. 25 c.

Pax gentium.


Ut inter singulos homines altercationes¹ oriuntur, sic etiam inter populos nonnunquam dissensiones² fiunt. Sed dum altercationibus singulorum res non saepe ad³ manus³ atque³ ad³ pugnam³ venit,³ rectores populorum rarius a pugnis temperant, etsi populi ipsi nil aliud magis oderunt — bellis.

Omnes igitur, quibus pacis amor non deest, sentimus rem male se ita habere, itaque maximo gaudio afficimur, cum de gentium pace tutanda⁴ nuntius affertur. Scriptum enim legitur: «Praeceptum novum do vobis, ut alii alios diligatis, sicut dilexi vos, ut vos etiam diligatis alii alios. Ex hoc

omnes cognoscent vos esse discipulos meos, si caritatem habueritis alii in alios».

Qua caritate nitentes omnes homines, a principe usque ad humillimo loco natos omnes operam dare debemus, ut dissensiones hominum singulorum non magis quam populorum conquiescant,⁵ quia et incerta pax plus valet bello gloriosissimo.

Hac conscientia ducti laetissimis⁶ omnibus⁶ prosequimur⁶ populum Britannicum, qui novissime cum re publica Americana Septentrionali foedus icit, quo edictum est, ut in po-




¹ viszálykodás ² egyenetlenség ³ csatára kerül a dolog ⁴ biztosít ⁵ szűnetel, megszűnik ⁶ a legjobb szerencsekívánatokkal üdvözl

sterum nulla bella inter hos duos populos fierent; si quae dissensiones orerentur, non armis, sed arbitris⁷ adhibitis decernerentur. Quā re non mediocriter populos Europae commotum iri quis dubitet? Et quis Hungarus dubitet pacis emolumentis⁸ vel maxime nos egēre, qui per tot saecula armis pro vitae⁹ institutionibus⁹ decertare cogeremur!

Iam non est vana¹⁰ species¹⁰ vaticinantium,¹¹ non licet esse, — sin aliter de generis humani processu desperaturi sumus — pacem nobis sempiternam parari. Huic student viri amplissimi clarissimique orbis terrarum, qui labore indefesso¹² effecerunt, ut Haegae¹³ Comitum¹³ aedes — paene dixerim: templum — PACI statueretur. Qua aede consociantur¹⁴ omnia consilia studiaque ad pacem gentium confirmandam.

In pictura videtis aedificium propemodum¹⁵ confectum atque absolutum.


7 békebíró 8 áldás 9 életfenntartás 10 üres álom
11 ábrándozó 12 fáradhatalan 13 Haag 14 egyesít
15 majdnem.



Uter maior fuerit?

Tempore Periclis praecipue duo pictores Graeci testimonia ingenii praestantissimi praebebant: Zeuxis et Parrhasios, qui in picturis naturam optime exprimere poterunt. Amici erant, qui saepius de arte pingendi colloquebantur.

At semel Zeuxis uvam¹ pinxit, qua etiam aves deceptae² sunt; veram enim existimantes in eam volarunt, ut ederent. Artifex statim adiit amicum, cui rem miram enarravit. Parrhasios de arte eximia aemulo³ gratulatus est. Sed iam etiam Parrhasios mente confecit picturam, qua non solum



De lingua Latina.

Paulus: Loqueris latine? — *Sextus*: Parum,¹ quia deest occasio exercendi. — *P.*: Ubi didicisti praecepta² linguae Latinae? — *S.*: Partim in schola, partim domi. — *P.*: Si maiorem linguae exercitationem³ haberes, brevi tempore bene loquereris. — *S.*: Spero me post annum vix vitium⁴ sermonis⁴ commissurum⁵ esse. — *P.*: Non credis linguam Latinam bene perdisci⁶ posse? — *S.*: Improbus labor omnia vincit. — *P.*: Maximas tibi agerem⁷ gratias,⁷ si mecum latine loqui velles. Cur taces? — *S.*: Audio te. Sed quia celeriter loqueris, non intelligo, quae dicis. — *P.*: Qui non refrangit⁸ sermonem Latinum, celerius loqua-

1 kereset 2 szabály 3 gyakorlat 4 beszédhiba
5 elkövet 6 megtanul 7 köszönetet mond 8 tör

aves, sed etiam homines in² errorem² duceret.²

Pinxit igitur tabulam,⁴ quā forma hominis ante oculos ponebatur, alterā manū velamentum⁵ tenentem eoque dimidium corporis contegentem. Picturam in pariete⁶ suspendit. Cum Zeuxis intrasset domum eius, — advocavit enim Zeuxin ad se — eum in ianua stare picturamque spectare iussit. Zeuxis magna cum admiratione picturam diu spectabat, tandem adiit ad picturam et: «Permitte mihi, — inquit — amice carissime, ut velamentum⁷ quoque removeam,⁷ ut opus tuum absolutum clarius videre possim».

Quis describat admirationem Zeuxidis, cum nullum velamentum invenerit, quia etiam illud pictum erat. Dextram fidemque amico dedit et dixit: «Parrhasie, superasti me!»

Ferdinandus Major.

1 szőlőfürt 2 megtéveszt 3 vetélytárs 4 kép 5 takaró
6 fal 7 félrehúzza a takarót.

tur. S.: Hoc verum est. Sed dicas mihi faciliore sit locutio,⁹ quam sermo ipse? — P.: Locutio Latina hodie apud diversas gentes diversa est. Idem vocabulum¹⁰ Latinum apud singulas gentes aliter detorquebatur,¹¹ velut nomen oratoris clarissimi, quod apud Gallos Ciceron, apud Britannos Cicero, apud Italos Cicerone, apud Helvetios plerumque Kikero enuntiatur. — S.: Quo¹² utebaris¹³ magistro?¹³ — P.: Fratre meo. — S.: Velim cum eo latine loqui, si otium¹⁴ habeat. — P.: Tardius¹⁴ loquaris, ut te intelligere possim. — S.: Non satis alta voce tibi loqui videor? — P.: Clare¹⁵ nunc percepi¹⁶ verba tua. — S. Quid habes hic? — P.: Pensum¹⁷ Latinum, quod nos magister facere iussit. — S.: Recte scripsisti, sed hoc loco pro enuntiatione¹⁸ negante¹⁹ pone affirmantem; ibi autem coniunctio²⁰ cum coniunctivo adiungitur.²¹ — P.: His emendationibus²² maxime me obligavisti,²³ quia magister summa cum severitate²⁴ persequitur vitia⁴ sermonis.⁴ — S.: Ut approbationem²⁵ magistri assequaris, operam²⁶ dato.²⁶

⁹ kiejtés ¹⁰ szó ¹¹ elcsavar, elváltoztat ¹² ki volt tanítód? ¹³ idő ¹⁴ lassabban ¹⁵ világosan ¹⁶ megért ¹⁷ dolgozat ¹⁸ mondat ¹⁹ tagad ²⁰ kötőszó ²¹ szerkeszt ²² javítás ²³ lekötelez ²⁴ szigorúság ²⁵ helyezés ²⁶ iparkodik.




Aëronauta Mester cum socio aërobatico¹ *Tiguro*² profectus in Hungariae pago *Sárszentmiklós* post iter 19 horarum salvus descendit.

Ad pagum St. Grave prope *Rendon* aërobaticum,¹ quod 22 horis antea ab oppido *Baden* subvolaverat, post iter 1000 chiliometrorum delapsus est. Gubernator aërobatici erat magister in universitate, *Robertus Liebmann*.

In maximam altitudinem decem chiliometrorum adhuc folle¹ aërio¹ aëronautae *Berson* et *Suding* anno 1909. ascenderunt.

Aëronautae Gallici Balsan et Godart anno 1900. altitudinem 8858 metrorum contingere potuerant. Nunc *Bienaimé* et *Senouque* in altitudinem 9000 metrorum evecti sunt.

Icari temporis novissimi, id est victimae³ artis aëronauticae sunt: centurio *Oidmann*



Germanus, Matkievits Turca cum fratre, centurio⁴ *Tarron* et succenturio⁵ *Byasson* Galli quorum machinam fractam hic videtis.

Aërobaticum magnum *Ratisbonā*⁶ profectum transvolavit Alpes, deinde mare Adriaticum, demum ad lacum *Trasumenum* descendit.

Biplanum militare primum in Hungaria etquidem in officina⁷ *Csepeliana* constructum ad tentandum⁸ oblatum est. Biplanum gubernante praeclaro aviatico, *Varhalovsky* cum altero socio duas horas in aëre volabat, quo tentamine⁹ facto ad usum militarem est receptum.

Longissimum adhuc iter aërium non interruptum¹⁰ aëroplano *Londinio-Parisios* uno meatu¹¹ fecit *Prier*, etquidem brevi quatuor horarum spatio. *E. Brenek.*

Ephemeris Viennensis, cui nomen est *Die Zeit* (Tempus), praemium 10.000 coronarum proposuit aëronautae, qui *Viennā-Budapestinum* uno meatu volaverit; itidem praemium alterum 5000 coronarum illi, qui *Budapestinō-Viennam* eodem modo iter aërium fecerit. Certamen die octavo Id. Mai. coeptum est.

¹ léggömb ² Zürich ³ áldozat ⁴ kapitány ⁵ főhadnagy ⁶ Regensburg ⁷ gyár ⁸ próbára ⁹ kísérlet ¹⁰ félbeszakít ¹¹ menet, «repülés».



Ludos gymnicos paravit iuventus gymnasii Scholarum Piarum Budapestinensium, qui a multis scholae amicis spectabantur. Pars discipulorum arte batuendi¹ eminuit, inter quos victores discesserunt F. Szitányi et F. Darvay. Arbitrium ludorum penes centuriones L. Berty, G. Szarvassy et doctorem G. Földváry erat. Certaminibus finitis rector gymnasii sermone elato victores laudavit, mox iuventutem admonuit, ut fortiter ac strenue corporibus exercendis operam daret.

Franciscus Halász.

Discipuli scholae² artis² mercatoriae² Claudiopolitanae³ Constantinopolim profecti sunt, ubi folle pulsando cum sodalibus circuli Galata Serai contenderent. Certamen sine⁴ exitu⁴ fuit, quia utriusque follem bis in portam adversam pulsabant.

¹ vív ² kereskedelmi iskola ³ kolozsvári ⁴ eldöntetlen.




GEOGRAPHICA.

Messanam, Siciliae urbem terrae motu¹ V. Cal. Ian. anni MCMVIII. deletam esse omnes lugebamus, immo — quantum potuimus — superstitem² miseriam sublevare³ studebamus. E ducentis milibus incolarum duae⁴ partes⁴ interierunt; qui post cladem illam vitā superabant, inter patriae ruinas incedentes⁵ deflent casum suorum, quorum magna pars et nunc sub rudibus⁶ sepulti iacent. Populus Italicus cogitat urbem deletam renovare, quod quidem humanis opibus fieri vix possit.

Neque peregrinus, qui illas ruinas perlustrat,⁷ a luctu maestitiaque temperare⁸ potest. Tanta est vis magnitudinis pristinae, nunc cadaveris instar⁹ iacentis! Aedificia


superba, templa splendida, turres¹⁰ principum, tabernae¹¹ pauperum... cuncta iacent.

Ne fortuna¹² urbis forte¹³ renascentis iteretur,¹⁴ curatores Italiae superstites Mes-



sanae incolas casas, leviter e ligno fabricatas incolere iubent et multi eorum, qui antea domini erant turrium, luxuriosissime exstructarum, nunc uno duobusve cubiculis¹⁵ parvulis gaudent. Quales sint nunc habitationes¹⁶ incolarum Messaniorum, in pictura videtis.

¹ rengés ² túlélő ³ segít ⁴ kétharmad ⁵ járkál
⁶ törmelék ⁷ szemlél ⁸ elzárkózik ⁹ mint egy hulladék ¹⁰ palota ¹¹ kunyhó ¹² sors ¹³ esetleg ¹⁴ ismétlődik ¹⁵ szoba ¹⁶ lakás.



Novi¹ Eboraci¹ nuper libri antiqui in auctione venierunt,² qua occasione libros divinos, qui Lutheri dicuntur, quinquaginta milibus dollarum (ducenta quinquaginta milia coronarum) Americanus, nomine Huntington emit.

Ab Academia Litterarum Hungarica inter cetera praemia unum proponebatur operi de migratione³ in Americam conscribendo. Praemium nondum, sed laudem maximam consecutus est B. Neményi, iuvenis duodeviginti annorum, qui pro⁴ aetate⁴

¹ New-York ² veneo eladásra kerül ³ kivándorlás ⁴ korához képest

mirae doctrinae eruditionisque documentum dedit.

Albania etiam nunc tota erecta⁵ est, quia oboedire recusant imperio Constantinopolitano, quo nomina⁶ dare⁶ et tributa solvere iubentur. Seditio iam paulisper languescere⁷ nuntiatur.

Aemilius Salgari, qui lingua Italica multa opera ad usum iuventutis — operum Iulii Vernei similia — conscripsit, morte uxoris mente⁸ captus⁸ sua manu sibi mortem conscivit.⁹

Lectorum interesse putamus nuntium, qui nobis de epistolarum¹⁰ commercio,¹⁰ inter iuvenes Gallicos et nostros in diem augescente¹¹ allatus est. IUVENTUTE intercedente duorum populorum iuvenes per litteras Latinas, Gallicas, aliquot per Germanicas colloquuntur. Sunt qui hoc modo se inter se cognitis amicitias iam iunxerint et alii alios ad se invitarint. Quae omnibus, iuventutem studiosam amantibus gaudio fore putamus.

In **Helvetia** nova fossa¹² concamerata¹² aperta est, cui nomen est Lötschbergiensi. Fossa 14.535 metrorum longa post montis Poenini¹³ (19.803 m.) et Adulae¹⁴ (14.998 m.) fossam orbis terrarum longissima est. Opus ingens anni 1906. Id. Oct. fieri coeptum est.

Tres naves Societatis Hamburgiensis scopulis¹⁵ Hispanicis allisae¹⁶ interierunt. Sexaginta homines cum mercibus undis hauriebantur.

Carolus Hieronymi, summus¹⁷ rei¹⁷ mercatoriae¹⁷ per Hungariam praefectus,¹⁷ vitae anno septuagesimo primo mortem obiit. Memoria viri illius strenui, qui ad res mercatorias moderandas¹⁸ summam scientiam summumque studium contulit, mentibus Hungarorum infixae¹⁹ manebit.

Guilielmus Foerster, magister in litterarum universitate Tigurina coram magna virorum doctorum multitudine bis in publicum²⁰ escendit, ut de Christi doctrina moribusque²¹ nostrorum²¹ temporum²¹ ageret. Praeclara ad dicendum indole exposuit doctrinam Christianam in amore Dei generisque humani sitam esse. Vir doctissimus, qui honorificentissime excipiebatur, se ad nos reverturum esse pollicitus est.

Emericus Karácson dr., sacerdos Iaurinensis, rerum scriptor doctissimus, qui iam plures annos Constantinopoli in tabulariis²² publicis²² res Turcarum cum Hungaris gestas scrutabatur,²³ mortem obiit; e libellorum enim veterum sordibus²⁴ sanguis investigatoris²⁵ veneno²⁶ imbutus est. Corpus mortui in patriam allatum est, ubi rite sepeliebatur.

Sclopetulo²⁷ **Iusorio**²⁷ A. Hohl sex annos natus a condiscipulo necatus est. Quo vix sepulto duarum iam calamitatum similium nobis nuntius affertur: E. Glitz ab amico in²⁸ os²⁸ adversum²⁸ plumbo²⁹ emisso²⁹ vulneratus est, item femur³⁰ Pauli Mohos sclopetulo Iusorio traiecit condiscipulus F. Dal, 14 annos natus. Utrique domos parentum portati sunt. Poenā nobis puerorum parentes socordes³¹ digni videntur, qui liberos suos ab armis mortiferis arcere neglexerint.

Romae totāque Italiā nunc sollemnia³² semisaecularia³² novi regni Italici celebrantur. Hac occasione regni Hungariae consilii praeses Adalbertus *Berzeviczy*, rerum artiumque Italicarum peritissimus, cum compluribus delectis³³ populo Italico nobis semper amicissimo omnia bona faustaue precatum³⁴ Romam profectus est. Nostri ubique amicissime excipiebantur, immo praesidi Adalberto Berzeviczy etiam a rege Victore Emanuele potestas³⁵ sui³⁵ facta³⁵ est.³⁵


Chorus³⁶ **Hungarorum canentium**³⁶ in nonnullis Italiae urbibus, novissime Romae cantu pulcherrimo summas laudes consecutus est. Phonasco,³⁷ Eugenio Stojanovits audientes laetissimi gratulationes fecerunt. Altero die in aulā matris regis coram³⁸ rege cum reginā, itidem rege Sueciae³⁹ cum reginā splendidissimoque principum coetū cantores Hungarici nonnulla cantica⁴⁰ cecinerunt, quibus summas laudes colligebant.

5 lázong 6 katonasorba áll 7 alább száll 8 eszét veszti
9 okoz 10 levelezés 11 gyarapodik 12 alagút 13 Simplon
14 Szent-Gothárd 15 szirt 16 sodor 17 kereskedelem-
ügyi miniszter 18 irányít 19 bevésve 20 nyilvánosság
21 modernség 22 állami levéltár 23 kutat 24 szenny
25 kutató 26 méreg 27 játékpisztoly 28 archa 29 ki-
lőtt golyó 30 comb 31 gondatlan 32 ötvenéves jubi-
leum 33 képviselő 34 kívánni 35 kihallgatást nyert
36 dalegyesület 37 karnagy 38 előtt 39 Svédország 40 dal

Cantores Viennenses nuperrime Budapestinum venerunt erantque nobis hospites gratissime accepti. Quod hospitium maioris⁴¹ est momenti⁴¹ ac⁴² putares;⁴³ est enim initium pacis inter duas urbes conciliandae. Haec res demonstratur oratione, quā Stephanus *Bárczy*, magister⁴³ civium⁴³ Budapestinensium, in lauto⁴⁴ convivio hospites Viennenses salutavit, nec non et illā, quā praefectus chori Viennensis salutanti respondit.

Oedipus Rex, fabula Sophocleana nuper in Foroiuliensium⁴⁵ coloniā gallice, Faesulis⁴⁶ italice agebatur. Utrobique⁴⁷ antiquorum temporum memoria aequae ac naturae amoenitates⁴⁸ actioque⁴⁹ histrionum⁵⁰ elegantissima ludos pulcherrimos effecerunt. Ludi Gallici, in quibus *Olivier* primas⁵¹ egit⁵¹ partes,⁵¹ perfectiores fuisse affirmantur Italicis.

Campania⁵² **Gallica**, cuius vinum⁵³ spumans⁵³ omnium clarissimum est, nunc tumultu ac terrore strepit.⁵⁴ Pars enim vinitorum⁵⁵ aegre fert, quod vini spumantis fabri-



catores vina necessaria in Galliae partibus meridionalibus coemunt, cum vina, quae ipsi faciant, vendere non possint. Itaque in vinetis,⁵⁶ dolariis⁵⁷ officinisque fabricatorum tantas populationes fecerunt, ut rerum⁵⁸ Gallicarum⁵⁸ curatores⁵⁸ milites educi⁵⁹ iusserint.⁵⁹

Florianus Cherven dr. nobilis a Chizsne, studiorum rector superior et rector gymnasii, Budapestinensis VII. regionis quinquagesimo muneris docendi anno paracto, pridie Nonas Maias sollemnibus scholasticis a discipulis, deinde Nonis Maiis in frequentissimo coetu atque convivio a plurimis quon-

dam discipulis, quos per decem lustra⁶⁰ litterarum artibus instruxerat ad vitam, a summis viris, ab optimatibus et doctis, nec non a collegis et amicis summis laudibus et omnibus signis gratissimiani et caritatis celebrabatur.

Aeternam reddetur viri docti optimique magistri memoria effigiē eius argenteā, a cultoribus oblatā et summā IOJ⁶¹ coronarum, quae nomine viri celebratissimi adiuvandis discipulis egentibus instituta est.


In Artium⁶² **Technicarum**⁶² **Universitate**⁶² Budapestinensi Nonis Maiis simulacrum conditoris *Iosephi* palatini⁶³ revelatum est. Intererat sollemnitati nepos palatini, *Iosephus* archidux cum uxore *Augustā*, vexilli quoque tum inaugurati⁶⁴ patronā.

In Artium⁶² **Technicarum**⁶² **Universitate**⁶² Budapestinensi Nonis Maiis simulacrum conditoris *Iosephi* palatini⁶³ revelatum est. Intererat sollemnitati nepos palatini, *Iosephus* archidux cum uxore *Augustā*, vexilli quoque tum inaugurati⁶⁴ patronā.

41 fontosabb 42 mint az ember gondolná 43 polgármester 44 fényes 45 *Forum Iulii*, Fréjus 46 Fiesole 47 mindkét helyen 48 szépség 49 játék 50 színész 51 főszerepet játszik 52 Champagne 53 pezsgőbor 54 lázad 55 vincellér 56 szőlőhegy 57 pince 58 francia kormány 59 kirendel 60 ötéves időszak 61 5000 62 müegyetem 63 nádor 64 szentel.



Asinus amicus. «Amice, tu es asinus!» — ait Sempronius ad Tullium. Qui respondet: Si ita, dic mihi, quaeso: sumne asinus, quia tuus amicus; aut sum tuus amicus, quia asinus?!
Arminius



In nasum Ludovici Magni, Hungariae regis cenae accumbenti musca¹ volavit, quae a rege saepius depulsa identidem² revolabat. Tandem Ludovicus patientiā³ ruptā:³ Tribus maribus includuntur mea regna, tu autem, bestiola impudens naso meo aptiorem tibi locum non invenis?

St. Horváth, Sabariensis.

Magister: Quis vestrum exemplum afferet, quo demonstretur corpora calore extendi?⁴

Paulus: Calore aestatis dies extenduntur, frigore autem hiemis contrahuntur.

St. Soltész, Losonciensis.

Cingarus⁵ (clamat): Incendium est, incendium!

Homines (territi concurrentes): Ubi, ubi?

Cingarus: Hoc et ego scire velim, quia frigore paene pereo. *I. Galbács, Váciensis.*

Medicus⁶ in area medici, qui tribus scalis⁷ habitavit, alta voce clamitabat: Medice optime, adiuva me pauperem!

Medicus humanus se ab aegroto vocatum existimans decurrit ad hominem, quem de morbo interrogat.

— Miserere mei, et da mihi pauperulo aliquid!

— Cur me huc fatigasti,⁸ cur non venisti ad me? quaerit medicus iam iratus.

— Nolui in tertiam contignationem⁹ escendere.⁹ *Albinus.*

Cum Alexander Magnus rex Macedoniae exercitum in Persas ducturus esset, consuluit oraculum: quem eventum¹⁰ suscepti belli habiturus esset? «Felicem eventum habebis — respondit ei vates Apollinis — si eum, qui primus tibi portā egresso occurrerit, interfici iusseris».

O infelicem asinarium,¹¹ quem fors¹² caeca primum ei obviam¹³ tulit!¹³ Alexander enim nihil haesitans¹⁴ miserum ad mortem arripit¹⁵ iussit.¹⁵

— Parce mihi, rex magne! — supplicat ei asinarius. — Vel saltem dic mihi, cur me innocentem morti addicas?


Cum Alexander ad excusandum factum

oraculi praeceptum rettulisset,¹⁶ asinariis:

— Si ita est, inquit, alium sors huic morti destinavit; nam asellus, quem ego ante me agebam, prior tibi occurrit.

Pepercit Alexander homini et in animali aliquanto viliore¹⁷ satisfacit¹⁸ oraculo. *j. i.*

1 a légy 2 újra meg újra 3 türelmét veszítve 4 ki-nyujt 5 cigány 6 koldus 7 lépeső, emelet 8 fűaszt 9 fölmászik 10 kimenetel 11 számárhajtsár 12 a véletlen 13 szembe hoz 14 tétováz 15 hurcoltat 16 felhoz 17 silány 18 eleget tesz.



I.

Parvus	Paucus	Gravis
Idem	Odium	Invenio
Vestio	Ignotus	Plenus
Primus	Nullus	Recens
Humidus	Vita	Celer

Pro his vocabulis contraria ponantur, quorum litterae primae proverbium notissimum efficiant. *V. Marian, Blasiensis.*

II.

Hoc distichon legentibus quid vobis notabile¹ videtur?

Aspice, nam raro mittet timor arma, nec ipsa, Si se mente reget, non tegeret nemesi.

F. Dalnoki.

III.

A	A	A	I	Bestiola impigerrima.
I	I	P	P	Pater patris.
S	S	S	S	In aëre volat.
S	S	U	Desiderat medicum.	
U	V	Pronomen demonstrativum.		
V	Consonans.			

Haec vocabula desuper deorsum lecta idem reddant, quod a sinistra ad dextram.

L. Poic.

IV.

Poma Petrus carpsit,² decerpsit et arbore
Paulus.

Pomorum numerus quis sit uterque, latet.³
Petrus ait Paulo: Duo des mihi poma, tuorum
Pomorum numerus tunc mihi duplus erit.
Paulus ait Petro: Tria des mihi poma, tuorum
Pomorum numerus tunc mihi triplus erit.
Dic quot poma Petrus, quot Paulus ab arbore
carpsit,

Si quid arithmetica doctus in arte potes.

F. Dalnoki.

V.

Iam venit alma⁴ quies: si vero demseris⁵
unam

E medio partem, mox fugit illa quies.

Ego.


VI.

Ore⁶ procax⁶ non sum, nec sum temeraria⁷
lingua,

Ultr⁸ nolo loqui, sed do responsa loquenti.

Aller.

VII.



² szakít ³ titok ⁴ jótékony ⁵ demo elvesz ⁶ szájas
⁷ megdölgötlan ⁸ magamtól.

Solutiones aenigmatum numeri 15.

I. Asinus — sinus. — II. Rosa. —
III. Cerasum. — IV. D · V · X. — V.
VI. 28 discipuli. — VII. Manus—
anus. — VIII. Homo homini lupus.

O	M	E	N
M	A	R	E
E	R	A	M
N	E	M	O


Solutiones aenigmatum num. 16-17.

I. Ius, Crus, Usus, Aetas, Lac, Sol, Iter, Ager,
Uva, Sal, Res: IULIUS CAESAR. — II. Verona, verna,
vena. — III. Ver-sus. — IV. Salutem. — V. C-aper. —
VI. 12 pedes. — VII. 5776. — VIII. Tres asses ha-
buit. — IX. Gallus. — X. Quova dis(cus) dom(us)
in e = Quo vadis, domine? — XI. Italia, nasus, tabula,
epistola, rosa, digitus, umbraculum, orbis, sol, libra,
ignis, turris, incus, glans, arcus, navis, tuba, effigies,

sedes, trifolium, equus, rota, templum, insula, urceus,
saxum, galea, arbor, urna, domus, ensis, talus.

Aenigmata numeri 15. et 16-17. recte dissoluerunt:
E. Brenek, A. Burger, P. Cheminaud (La Roche s/Yon),
St. Csendes, L. Durand (Parisiis), I. Etchégaray (La
Roche), E. Flatt, Z. Grosz, E. Haas, C. Kollár, I. Lamic
(La Roche), A. Manovill, A. Pallai, G. Péteri, E. Picard
(Parisiis), A. Révffy, F. Rosner, L. Rotter, fratres
Totis, Ujpestiensis gymnasii classis III., F. Vámos,
St. Végh, D. Vidats, I. Vitéz, P. Werner, L. Zoufaly,
I. Zsédely, L. Éder, I. Gyurovics, St. Wladimir.

Praemium primum Paulo Werner adjudicatum est,
secundum Aemilio Picard.



Anonymus Miskolciensis tam male scripsit, ut char-
tula legi non potuerit. — Eduardus B. Quae de geo-
graphia nobis misisti, in quocunque libro geographico
legi possunt; alterum edidi. — Franciscus D. Unum
elegi, ut vides. Aenigmata delineata quidem pulcher-
rime sunt, sed non satis liquent. — Arpadus Ei. Tem-
pore fortasse in usum nostrum conferetur. — I. Ébel.
«Passeres» evolabunt. — Arminius G. (Monaci). Pro
«Exhortatione ad Hungaros» gratias agimus; sed
iam poeta noster, qui aliquot carmina in sermonem
Latinum convertit, hanc quoque versionem iam pri-
dem nobis tradidit, — quae Id Iun. prohibet; beneficio
tuo, quamquam dolemus, uti nequimus. — E. H.
Temesvár. «Quintus Magnus Fabius» — ut scribis —
non est clarissimus Romanus; alterum iam prodiit. —
Henricus. Carmina Paschalia tarde nobis tradita sunt,
quod aegerrime ferimus. Sed tuā veniā seposuimus. —
C. Kollár. Pulcherrime rem delineasti, quamquam:
«Ave Caesar, sed cave canem» intellectu difficillimum
est. Caesar enim praeter deos neminem caveat, ne
canem quidem. — Ladislaus L. Losonc. «Avis sum, si
mei primam litteram amittoris, in rei publicae multi
sunt» — nullo pacto reperire possum sensum secre-
tum huius aenigmati. Meliora mittas. — Andreas M.
Mogentiana. Tuum facillimum est. Misisti tu iam
melius quoque. — Georgius Péteri. Cogitatio melior
est, quam delineatio. — N. Szegedy. Valde doleo, quod
versione tua uti nequeo, sed quamquam res bella,
longiuscula est pro spatio nostro. — Carolus T. Con-
stantinopoli. Perpulchre rem discipulisti, vere latine,
sed nescio quo eam inseram. Fortasse tardius. —
G. T. E tuis unum alterumve inseretur. — V. W. Sza-
kolca. Fabula a Phaedro ante duo milia annorum
satis pulchre enarrata est. Non est cur mutetur. Aliud
nisi lingua Latinā instructis liquet. — Ignotus. Tuum
perfacile est. — L. Kármán. Mittetur.

Sumptibus moderatum ephemeridis: Magyar
Középiskola.